

EXPLICATIO

283

*Dicti ad Hebr. 13. v. 8. JESUS CHRISTUS heri,  
hodie idem, & in secula.*

IN DISPUTA-  
TIONEM PRO LICEN-  
TIA, QVAM VOCANT, THEO-  
logicâ consequendâ

PROPOSITA

à

M. Heinricho Höpffnero SS. Theo-  
logiæ Professore.

*Die XVII, & XVIII. Septembris.*

ANNO

M. DC. XVII.



LIPSIÆ,

*Excudebat FRIDERICUS Lanckisch.*

Coll. diss. A  
181, 33

*Coll. A 181(33.)*





*Generosis, Magnificis & Nobilissimis Dnn.*  
**Dn. CASPARI DE Schönbergk IN**  
**Pülfsnitz ET Gütick/ &c.**  
**CONSILII SANCTIORIS IN**  
*Illustrissima Dresdensi Aula, Judicijq; Supre-*  
*mi Appellationum Presidenti eminentissimo:*

NEC NON

**Dn. CHRISTOPHORO à LOSS,**  
 in **Schleinitz/ &c.** Cæsareæ Majestatis, & intimo Sere-  
 nissimi ELECTORIS Saxonæ Consiliario, Sacri  
 etiam Rom. Imperii Thesaurario Splen-  
 didissimo &c.

*Dominis, Patronis, ac Promotoribus*  
*suis maximis*



**Cum debito cultu, ac deditissimo**  
**obsequio dicat**

**Autor**





**B** Revis est, sed signatissimis vocibus conceptus aphorismus Apostoli ad Hebr. 13. v. 8. *JESUS CHRISTUS heri, hodie idem, & in secula; ideoq; accuratiùs, tum quoad verba, tum quoad scopum & sensum dispiciendus.*

THESIS I.

Subjectum aphorismi est: **JESUS CHRISTUS.**

*Vox JESUS desumpta est ab officio, quia ille saluum facit populum, Matth. 1. v. 21. ita dicta à יְשׁוּעָה salus, à יָשַׁע, id est, salvavit, Latine Salvator. Christus autem non est nomen (proprium) sed appellatio potiùs. Unctus enim significatur. Unctus autem non magis nomen est, quam accidens nominis res. Tertullianus adversus Praxeam. καὶ ἐξ ὀνόματος Tertull. c. 8. Messias, quod Græcis est χριστός. Joh. 1. v. 42. vice proprii sumitur, à muneris functione inditum Filio DEI, Dan 9 v. 24. Matth 26. v. 63. Marc. 8. v. 39. sine mensurâ Joh. 3. v. 34. ultra suos consortes uncto Psal. 45. v. 8. non tamen διὰ τῆς ἰσχύος, quia*

A 2 χριστός



Damasc.  
lib 3 orth.  
fidei, c. 3.

Damasc.  
lib. 4. orth.  
fidei. c. 6.

Χριστὸς τὸ σωμα Φότε εἶν νοεῖται, id est, Christus intelligitur esse id, quod constat ex utroq; scilicet ex divinâ ungente, & ex humanâ naturâ unctâ, ut pluribus docet Damascenus. Quòd verò Filius Dei ab æterno fuisse Christus, hoc loco, & à Judæis in deserto tentatus esse Christus, 1. Cor. 10. v. 9. dicitur, cùm tamen ungi humanitati tantùm CHRISΤΙ competat, quam in plenitudine temporis assumptit Λόγος: id fit. I. propter personæ identitatem: Neq; enim aliud est Λόγος ante incarnationem, aliud Christus post incarnationem, sed manet una eademq; persona. II. Deinde quia unctio illa humane nature in æterno Trinitatis consilio erat definita, & Patribus in Veteri Testamento promissa, perq; typos adumbrata. Cùm ergò Filius Dei in V. T. vocatur Messias aut Christus, fuisse subintelligitur, scilicet destinatus ad unctiōnem, promissus ac suo tempore exhibendus.

## II.

Prædicatum est ὁ αὐτὸς idem ipse.

Vox ὁ αὐτὸς significat eundem, & vel mutabilitati opponitur, vel pluralitati atq; ἀδιόρη, significans idem quod εἷς, unus, Apocal. 17. v. 10. Ita CHRISTUS dicitur ὁ αὐτὸς, Hebr. 1. v. 12. & opponitur cælis ἀδιαγνώστους, id est, mutandis ac veteraturis. Juxta alteram autem notionem 1. Cor. 12.

v. 3.



v. 5. CHRISTUS vocatur ὁ αὐτὸς κ' ἐστίν, IDEM Domi-  
 nus, Roman 8. v. 6. Eph. 4. v. 5. εἰς κ' ἐστίν, UNUS  
 Dominus. 1. Tim. 2. v. 5. UNUS MEDIATOR Dei  
 & hominum. Ita non ἄλλοι Ἰησοῦν, ALIUM JESUM es-  
 se, testatur Paulus 1. Cor. ii. v. 4. & Petrus Act.  
 4. v. 12. Non est in ALIO quoquam salus, nec A-  
 LIUD nomen sub cælo datum inter homines,  
 per quod OPORTeat nos salvari. Itemq; 1. Cor.  
 3. v. 3. iterum Paulus: Non potest aliud funda-  
 mentum poni, PRAETER id quod positum  
 est, quod est JESUS CHRISTUS.

An verò CHRISTUS hoc in loco dicatur ὁ αὐτὸς  
 ratione personæ, an ratione officij; mox disquire-  
 mus.

### III.

Determinatio addita prædi-  
 cato est: H E R I, H O D I E ET  
 I N S E C U L A, id est, ab æterno,  
 nunc & in perpetuum.

Cyrillus H E R I de tempore paulò antè præterito  
 exponit, & conjungit cum H O D I E, ut sit idem ac  
 paulò ante & nunc, ambasq; particulas refert ad  
 humanam naturam CHRISTI. Homines enim Jo-  
 bo c. 8. v. 9. dicuntur ἠέρι, berī, id est, hesterni,

Cyrill. de  
 rect. fid. ad  
 Theodos.  
 & lib. de fi-  
 de ad Regi-  
 nas; item in  
 Apologetic.

A 3 seu



Nazianz.  
Orat. 38.

seu ut cap. 14. v. 1. explicatur, breves diebus. Reliquam autem determinationis particulam; IN SE-  
CULUM; ad divinam naturam restringit: cui adsti-  
pulatur Theodoretus cum Gregorio Nazian-  
zeno: *HERI*, inquit Theodoretus, & *HODIE* hu-  
manam naturam appellavit Paulus, eternam au-  
tem vocavit divinitatem, eundem autem dixit &  
hoc esse & illud, quoniam unus filius unigenitus i-  
dem & primogenitus.

Sed præterquam quòd contextus repugnet  
huic interpretationi, atq; ex determinatione præ-  
dicati ipsum predicatum fiat, non etiam pbrasis;  
*ESSE IN SECULUM*; congruit tantum divinæ, sed  
& humanæ nature, quæ similiter est in seculum,  
& non amplius moritur, mors non dominabitur ei,  
Rom. 6. v. 10.

Anselmus *HERI*, ait, omne præteritum  
tempus, & omne spacium eternitatis, quod ante  
mundi originem fuit, denotat: *HODIE*: omne tem-  
pus præsens: Illud autem, *IPSE ET IN SECLA*;  
omne spacium temporis & infinitatis, quod futu-  
rum est. Similiter explicat hæc verba Chryso-  
stomus, quamvis aliter cum antecedentibus con-  
nectat.

Sed quia in Sacris vox *HERI* seorsim acce-  
pta, etiamsi indefinite ponatur, nusquam duratio-  
nem longam, qualis est à conditu mundi, nedum e-  
ternitatem significat; potius propter hereticos  
con-



conjungenda sunt omnes durationis differentiae,  
 per quarum enumerationem conjunctam Scriptura  
 denotare solet aeternitatem, lacunam atque omni  
 interruptione & termino carentem, hac in parte  
 accommodans se ad nostrum captum, qui ut finitus  
 est, ita res aeternas concipit sub imagine temporis,  
 quod propterea Plato αἰῶν & εἰκόνα κινήσων, id est, mo-  
 bilem aeternitatis imaginem; Pindarus & αἰδῖς εἰ-  
 δωλον, id est, simulacrum aeternitatis, recte voca-  
 runt. Similis descriptio aeternitatis, ab omnibus  
 temporum differentiis facta, habetur Apocal. i.  
 v. 4. (& ὄν) ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, id est, qui est, qui  
 erat, & qui futurus est. Unde Augustini pul-  
 chrum illud: Fuit, quia nunquam defuit, est,  
 quia semper est, erit, quia nunquam deerit.

Plat. in Ti-  
 mæo.

### IV.

Sensus autem hujus dicti,  
 cum antecedentibus & con-  
 sequentibus collati, hic est:  
 JESUS CHRISTUS est doctri-  
 nae fidei, & confessionis, ac  
 constantiae Christianae u-  
 nicum



# nicum & invariabile fun- damentum

*Suprà dicti autores variè connectunt aphorismum hunc cum antecedentibus : Cyrillus enim & Chrysostronus de tota persona Christi accipiunt verba Apostoli, eaq; Judæis opponunt, alium quendam futurum frustra expectantibus, cum non desinat esse Christus ille, quem docuerint, & fide amplexi sint, atq; in tollenda cruce imitati ductores.*

*Alij non pauci ad Christum, quò Deus est, accommodant, quia universa fides doctorum Ecclesie hinc pendeat, quò dirigatur in eum, apud quem nullum verbum est impossibile.*

*Anselmus de officio Christi accipiens, HERI, inquit, fuit Christus cum Patribus, HODIE est vobiscum, & erit cum posteris vestris, & eis qui futuri, usq; ad consummationem seculi. Mox tamen etiam ad naturam Christi divinam accommodat.*

*Prima connexio est alienior; tum quia determinatio prædicati eam non admittit, tum quia heic non de ultimo adventu Christi agitur; sed præceptum traditur de recordatione Patrum, quatenus tradiderunt sermonem Dei, deq; imitatione atq; intuitu eorundem, quoad fidem & constantiam.*

*Altera connexio est quidem vernacula, sed remota tamen : non enim heic ἀμείωτος agitur de*

CHRISTO



CHRISTO, quâ DEUS est, cùm identitas ejus consi-  
 deretur ratione doctrinæ & fidei, ac constantiæ  
 patrum in vers. 8. & in 10. identitati illi opponatur  
 τὸ περιφέρειαι ποικίλαις καὶ ξέναις διδασκαίαις, i. e. circum-  
 ferri variis & peregrinis doctrinis. Quia enim  
 Christus est fundamentum doctrinæ unicum, do-  
 ctrina Christiana non potest esse ποικίλη, i. e. juxta  
 Chrysostrum, multiformis & multimoda, seu  
 divisa, ut Thomas explicat, & eleganter addit:  
 Cùm veritas in medio consistat, ideò uni vero  
 multa falsa opponi possunt, sicut uni medio  
 multa extrema. Doctrina fidei una est, quia à  
 puncto in punctum non convenit ducere nisi  
 unam lineam rectam. Omnes autem aliæ do-  
 ctrinæ multæ sunt, quia à recto multis modis  
 contingit deviare.

Quia item Christus est invariabile doctrinæ  
 fundamentum, doctrina Christiana non potest es-  
 se ξένη, peregrina i. e. nusquam consistens instar ob-  
 errantium peregrinatorum, atq; ut Theophyla-  
 ctus addit, à Scholâ & quasi domicilio veritatis  
 (quæ juxta Philosophum, non ἀλλοθίοις alienis, sed  
 οἰκείοις λόγοις i. e. vernaculis rationibus astringitur,  
 aberrans, quâ homines circumferantur, huc & il-  
 luc quolibet doctrinæ vento agitati Eph. 4. v. 14.

Porrò deniq; quòd heic identitas & immuta-  
 bilitas Christo ratione officij tribuatur, indicat A-  
 postolus, cùm dicit; cor, hoc est, fidem & constan-  
 tiam stabiliri gratiâ.

B Qua-



Quare identitas, hoc est, immutabilitas & unitas Christo tribuitur, non ratione divinae essentiae, sed respectu officij, quae tertia explicatio est Anselmi, ac proximè, & quidem rectius, si particulae, temporis cujuslibet notae, conjunctim pro aeternitate accipiantur, ad scopum collineat.

Hoc ut evidentius appareat, instituamus analysin totius contextus.

Adbortatur v. 7. Apostolus ad memoriam doctrinae ductorum: ad imitationem fidei, & denique eorundem contemplationem in Christo sequendo. Illam trimembrem adhortationem primùm generatim probat:

Qui est hodiè, heri & in secula idem, de illo sermo ductorum non est oblivioni tradendus: in illum posita fides ductorum est imitanda: in illius denique opprobrio sustinendo, constantia ductorum est intuenda. Sed JESUS Christus est heri, hodiè & in secula idem. Ergò &c

Hanc generalem rationem postea speciatim ad singula membra accommodat; ita ut unam probationem ex alia deducere videatur;

De memoriâ doctrinae Patrum ita habet Syllogismus:

Quibus bonum (salutare) est gratiâ stabiliri cor, illi ne circumferantur variis & peregrinis doctrinis. Sed vobis bonum est gratiâ stabiliri cor. Ergò vos non circumferamini variis & peregrinis doctrinis.

Minoris prosyllogistica probatio sumitur à specierum avhdingenpaw oppositione: Aut



Aut gratiâ, aut cibus bonum est cor stabiliri. At non cibus, (i. e. legalibus observationibus, uti per Synecdochen *Chrysoſtomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus* & *Anselmus* explicant) 1. Timot. 4. v. 8. Ergo gratiâ, (doctrinâ Evangelii gratiam offerente & dante.)

*Sed & hujus minoris epilogismus additur à contrarij effectûs experienciâ.*

Quo non sunt adjuti (justificati & salvati) in eo ambulantes, (observatores illius) eo cor stabiliri non est bonum: Sed ciborum observatores non sunt adjuti cibus. Ergo cibus stabiliri cor non est bonum.

Secundum membrum *de imitatione fidei & confessionis ductorum*, ita quidem, ut quia ciborum fecerat mentionem, in eodem sermonis genere perseveret *Apostolus*, tractat v. 10. & demùm propter longiusculâ ἐπεμβολὴν v. 15. ponit conclusionem:

Qui habent altare, de quo non habent potestatem edendi, tabernaculo deservientes, illi per CHRISTUM (tanquam per Pontificem, *Theophyl.*) offerant Deo sacrificium laudis & labiorum nomini ejus (potentiæ, justitiæ, ac misericordiæ divinæ) confitentium fructum. Nos habemus altare (i. e. victimam, per Synecdochen continentis pro contento, qualis etiam est 1. Cor. 9. v. 13. & 1. Cor. 10. v. 14. quæ victima est Christus,) de quo non habent potestatem edendi, deservientes tabernaculo, (sectatores Judaismi, qui post exhibitum Christum victimam ejus abnegarunt, dum typicas voluerunt offerre.) E. per ipsum offeramus &c. v. 15.



334  
*Minoris prosyllogismus sumitur à comparatis. Ut animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium per Pontificem (&) horum corpora exuruntur extra castra. Levit. 16. v. 27. Ita & Jesus, ut sanctificaret (*expiaret*) populū per proprium sanguinem, passus est extra portam, v. 12.*

*Tertium deniq; membrum, de intuendo exitu conversationis vel vitæ, quâ ductores suam in tollendâ cruce Christi constantiam testati sunt, inserit antecedentis membri confirmationi, ex quâ illam deducit, ita ut in primo Syllogismo ad vocem ἐξ ἑαῶτος exitus, in altero autem ad vocem αἰῶς ἐξ ὧν id est, conversationis non obscure alludat:*

Quorum Salvator passus est extra portam, illi exeant ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes: Noster Salvator passus est extra portam; Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes v. 13.

*Hoc iterum aliter probat v. 14.*

Qui non habent manentē civitatem, sed futuram inquirunt, illi debent ad christum exire (id est, sequi Christum, ejusq; crucē tollere, & cæteris omnibus in mundo valedicere.) Nos non habemus manentē civitatē, sed futuram inquirimus. Ergò nos debemus ad Christum exire.

V.

Atq; ex his facilè potest judicium ferri de interpretatione

tione



789  
tione Smalcij: Cui primò  
Christus per metonymian  
causę significat doctrinam  
Christi ex v. 10.

R. At aliud est officium Christi propheticum, & aliud inde proveniens, nempe doctrina. Jam Apostolus considerat heic Christum, quatenus est fundamentum doctrinę idem, hoc est, unicum & invariabile, & ex hac ejus identitate; doctrinę Christianę, tanquam effectus, identitatem concludit; atq; opponit doctrinarum varietati, perq; illas mobilitati, & huc illuc agitationi. Deinde idem Christus, cujus doctrina opponitur variis doctrinis, dicitur esse altare seu victima v. 10: dicitur extra portam passus v. 12. Atqui ista non competunt doctrinę Christi, sed ipsi Christo ratione officij considerato. Quare Christus Jesus hoc loco non erit idem quod doctrina Christi.

Smalc.  
cont. D.  
Franz. p. 98.

Secundò per heri intelligit Smalcus primitivum tempus Apostolorum: per hodiè autem presens, quod tunc instabat: per seculum deniq; omne tempus futurum usq; ad consummationem seculi, ut sit sensus; doctrina Christi, quę non ita pridem cepit, eadem nunc est, & eadem futura est semper.)

B 3

R. Ve.



R. Verum jam antè dictum, heri, scorsim quidem  
positum significare tempus non diu præteritum,  
quando a. cum vocabulis jungitur reliquas tempo-  
ris differentias significantibus, tunc conjunctione  
harum particularum notari perpetuitatem, &  
quidem absolutam. Neq; enim doctrina Christia-  
na tantum in Novo Testamento, sed reapse et-  
iam in Veteri Testamento fuit, cum Christus c. 12.  
v. 2. ad Heb. dicatur ἀρχαῖος ἔτελης fidei Patrum,  
quorum nubem v. 1. proposuit c. 11. Imò Evange-  
lium est æternum 1. Cor. 2. v. 7. Apocal. 14. v. 6. qua-  
tenus per illud omnes perseveranter credituri ac  
salvandi, sunt in Christo prædestinati.

Replicanti autem Smalcio, CHRISTUM  
non ab æterno, sed tum demum, cum ex Mariâ  
virgine natus est, fuisse, rectè opponimus æternam  
Christi, quâ DEUS est, subsistentiam. Hic enim æ-  
ternus λόγος æterno decreto, promisso, Psal. 2. v. 7.  
8. & pacto patris Gal. 3. v. 9. Itē Ioh. 17. v. 1. 2. 3. con-  
stitutus est mediator & redemptor noster; qui quo-  
ad intercessionē, & sponsæ, atq; oculis Dei jam tum  
presentis satisfactionis illius, in plenitudine tem-  
poris semel, ad Heb. 9. v. 26. c. 10. v. 12. peragen-  
dæ, virtutem atq; efficaciam, est causa tum præde-  
stinationis crediturorum ab æterno, tum justifica-  
tionis Patrum in Veteri Testamento, propter per-  
sonæ infinitatem. Unde Job. Apoc. 13. v. 8. Agnus  
mactatus ab origine mundi dicitur. Cujus sen-  
ten-



290  
tentia allegationi frustra opponit Socinus, Castellionem secutus: Totum, inquit, verborum contextum esse respiciendum, in quo sit *ὑπερβασις*, seu ut postea nominat, hypallage, & metathesis seu transpositio verborum; Ideoque determinationem illam (ab origine mundi) non referendam esse ad proximè antecedentem mactationem, sed ad inscriptionem in Libro Vitæ; de qua verba antecedentia sonant: & adorabunt eam (bestiam) omnes terram inhabitantes, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ: Atque ita hoc loco non dici, quando mactatus sit agnus, sed quando inscriptio in librum vitæ Agni facta sit, & Syntaxin hanc esse: Omnes, qui non sunt ab origine mundi inscripti in Libro Vitæ Agni mactati, adorabunt bestiam; hanc verò expositionem probat ex Apoc. 13. v. 8. ubi determinatio ista, (ab origine mundi) similiter explicat inscriptionem nominum in Librum vitæ.

R. Sed frustra satisfactionis Christi eternam efficaciam convellere nititur. Posito enim, & concesso hoc hyperbato (quod Aretas huic loco Apoc. 13. v. 8. ex Apoc. 13. v. 8. tribuit, idemque, licet alio consilio, Beza, Junius, Piscator statuant, scilicet Christi meritum non causam, sed effectum prædestinationis facientes:) tamen manet, Christum esse Agnum ab eterno, in cujus libro vitæ facta est inscriptio. Jam qui est Agnus ab eterno, ille etiam

Socin. part.  
2. de Serva-  
tor. c. 26.  
Socin. part.  
4. de Serv.  
c. 13.  
Smalc.  
cont. D.  
Franz. p. 116.  
126.



iam ab eterno est mactatus; Christus enim non dicitur agnus, nisi ratione sacrificij per mactationem facti.

Atqui regeſcit SOCINUS: Christus est Agnus in prævisione tantum DEI, & quoad decretum & destinationem ad futuram in tempore mactationem!

R. Sed non tantum ratione præscientiæ & ordinationis divini est ab eterno agnus, verum etiam quoad infinitam efficaciam sponsæ ac certissimè future meritorie satisfactionis in nostrâ ad salutem prædestinatione, juxta propositum ac prænotionem Dei, Rom. 8. v. 28. perseveranter credituris, ex merâ gratiâ, Eph. 1. v. 5. 9. 10. 1. Tim. 1. v. 9. Joh. 15. v. 16. applicatæ.

Locus autem 17. Apoc. v. 8. non totaliter, sed ex parte tantum huic loco est parallelus, nempe quoad inscriptionem perseveranter crediturorum in libro Vitæ. Dissimilis autem est, I. quoad diversam collocationem determinationis, quæ ibi Apoc. 13. tribuitur meritorie & impulsivæ causæ prædestinationis: Heic autem Apoc. 17. ipsi prædestinationi. II. quia locus Apoc. 13. expressius notat causam inscriptionis in librum vitæ, nempe mactationem seu totam obedientiam CHRISTI, quæ heic in voce agni tantum includitur.

ΠΟ.



## I.

Nemo unquam justificatus est & salvatus, nisi per & propter CHRISTUM: etiam Patres in Veteri Testamento non fuerunt aliò modò justificati.

*Quale enim fundamentum est prædestinationis, tale etiam fundamentum est justificationis: Sed omnes salvandi sunt in Christo prædestinati: Ergò etiam omnes salvandi sunt in CHRISTO justificati. Atq; hoc est, quod ex locis ad Hebr. 13. v. 9. & Apocal. 13. v. 8. colligunt Theologi; Christum nempe eundem Salvatorem fuisse Patribus, qui est nobis in Novo Testamento, & prædictatum esse in promissionibus, in sacrificiis tanquam typis, & in animis sanctorum, qui per fidem aspexerunt futuram hanc prædicationem, & per illam salvati sunt.*

*Vide Lutherum de hoc ipso dicto ad Heb. 13. v. 9. Possset hoc deduci per causas justificationis, & ostendi, quòd in Veteri Testamento fuerit*

C

dem

Luther.  
tom. I VVi-  
teb. f. 410.



104  
dem caussa meritoria Rom. 5. v. 18. Rom. 4. v. 2.  
12. & 23. II. Eadem promissio benedictionis &  
gratie Rom. 3. v. 25. Gal. 3. v. 17. &c. III. Idem  
Sacramentorum, & bis, quatenus sunt salutis me-  
dia, similium sacrificiorum finis. Gen. 17. v. 11. Lev.  
1. v. 4. 9. 13. Lev. 4. v. 13. Levit. 6. v. 1. 2. IV. Eadem  
fides Rom. 4. v. 18. V. Eadem forma justificationis,  
Act. 15. v. 11. Ac quamvis in omnibus his causis  
quoddam discrimen inter fidem Patrum in Veteri  
Testamento, & inter nostram reperiatur: non ta-  
men illud est essentiale, sed accidentarium ex di-  
versa gratie divina dispensatione ortum. Vide  
c. 3. ad Hebr. v. 5. Sed de hoc alibi pluribus con-  
tra Photinianos.

## II.

Doctrina Christiana una o-  
mninò est, sola immobilis  
atq; antiquissima.

Hinc Judas in Epistolâ suâ v. 3. Fides (doctrina fi-  
dei) semel tradita fuit, b. e. est constantissima &  
nunquam posthac immutanda, & post quam se-  
mel jam divinitus traditam regulam nemo potest  
παροφένειν, i. e. novi aliquid inducere sine peccato,  
quo verbo Chrysostronus, aliq; Patres in eam  
rem



remutuntur, quâ item semel amissâ, non est, quòd aliunde salus expectetur. Quare pulchrè Ignatius *ἡμῶν ἀρχαῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός, ὃς ἐγενήθη καὶ πρόδηλος ὅλος θεός* i.e. *JESUS CHRISTUS*, antiquitas, seu ut alij reddunt, pro Archivis est, cui non parere manifestū est exitium. Quamvis autem & mendaciū sit antiquum & per traducem antiquitatis commendetur fallacia: tamen adhuc tempore veritas prior est mendacio. Principalitas, inquit Tertullianus, veritati, posteritas mendacitati deputanda: Id enim est dominicum & verum, quod est prius traditū, id autem posterius & falsum, quod est posterius immissum. Itaq; eodem\* Tertulliano teste, Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem appellavit; Et veritati nemo præscribere potest, non spacium temporis, non patrocinia personarum, non privilegia religionum. Valet autem illud Christi Matth. 19. v. 8. *Ab initio NON FUIT SIC.* Rectè ergò Martyr Cyprianus errantes in religione, ad radicem atq; originem traditionis dominicæ, omnibus novellis & humanis traditionibus valere jussis, jubet reverti,\* adeoq; ἅδὲ τὸ τυχερὸν i. e. ne minimum quidem, quod ad fidem pertinet, aliunde peti potest, nisi ex doctrinâ divinitus revelatâ. † Hinc quicquid cum eâ doctrinâ congruit, non potest esse nova doctrina, licet sit renovata, &

Ignat. in Epist. ad Philadelph.

Augustin. de quæst. V. & N. T. quæst. 114.

Tertull. de præscript. c. 21.

\* Lib. de ve-landis virginibus c. 1.

\* Cyprian. in Epist. ad Cæcilium.

† Cyrill. in quarta Catechesi.



305  
ab erroribus, ac defectio- nis à priscâ veritate tene-  
bris in lucem reducta. Sicut frustra Christi do-  
ctrina, proclamatur ἡ καινὴ διδασχὴ, i. e. nova do-  
ctrina Marc. i. v. 27. Et quæ Paulus docebat Act.  
17. v. 19. Atheniensibus quidem apparebant nova;  
non tamen erant.

### III.

## JESUS CHRISTUS est verus & æternus Deus.

Cujus enim personæ efficacia est eadem ab æterno,  
illa ipsa persona est invariabilis Et æterna: Sed  
personæ CHRISTI efficacia fuit ab æterno eadem:  
Ergo necessario sequitur, ipsam quoque personam  
Christi esse invariabilem Et æternam. Atque ita  
ex identitate actionum effectuumque CHRISTI,  
rectè Et ἀποδείκνυσις à Patribus colligitur identitas,  
h. e. immutabilitas Et æternitas personæ Christi.  
De hac identitate essentiæ illius loquitur Psal. 102.  
v. 28. ubi expressè habetur: *Κὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ*, Tu au-  
tem IDEM es, & anni Tui non deficiunt; quem  
locum de CHRISTO loqui, expressè testatur Episto-  
la ad Hebr. c. i. v. 11. & 12. atque id ipsum quoque in-  
nuit totus Psalmus, in primis versus illius 13. 16. 18.  
20. 21. 22. quicquid etiam Photinianus Spiritus  
heic



*beic contradicat. Inde CHRISTUS passim in sacris  
 dicitur JEHOVAH, Jeremiae 23. & 33. v. 15. quæ vox  
 omnium temporum discrimina conjunctim inclu-  
 dit, atq; immutabilitatem & eternitatem indicat.  
 Hinc à Scaligero novâ appellatione redditur αὐ-  
 τολός. Sunt enim duo requisita eternitatis divinae,  
 ut Philosophus docet: Unum est, quòd sit συνεχής,  
 i. e. continua, simul tota, nullam habens in se suc-  
 cessionem & interruptionem: Alterum est, quòd  
 sit αἰδιό i. e. carens principio & fine: Unde Boë-  
 thius eternitatem Dei definit, interminabilem vi-  
 tæ, totam simul & perfectam possessionem. Et  
 AUGUSTINUS: Eternitas ipsa Dei substantia est,  
 quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præter-  
 itum, quasi jam non sit: nihil futurum, quasi  
 jam nondum sit. Sed non est ibi nisi est; non  
 est ibi fuit & erit, quia & quod fuit jam non est,  
 & quod erit, nondum est: sed quicquid ibi est,  
 non nisi est.*

Scal exerc.  
 365. f. 2. &  
 lib. 2. de  
 plant. p 294.  
 Aristoteles  
 lib. II. Me-  
 taph. c 7.

Boët. lib 5.  
 de Confo-  
 lat. Phil.  
 profâ 6.  
 August. in  
 Ps. 102.

DEUS omnis misericordiæ largiatur, ut hoc æter-  
 no & invariabili doctrinæ fidei, & constantiæ Christianæ  
 fundamento, CHRISTO JESU, unicè innitamur, & in illo  
 omnem fidem spemq; & confessionem nostram firme-  
 mus, ut ne portæ inferorum adversus eam  
 prævaleant: Amen.

C 3 AD



AD

*Reverendum & Clarissimum Virum*

**Dn. HEINRICUM HOPFNERUM**

**SS. Theologiæ Professore**

**eximum,**

*Pro Consequendâ Licentiâ assumendi gradum*

*Doctõris publicè disputantem,*

*ωεγοφώνησις.*

**ET** *sua stant almae Pietati premia; quamvis*

*Vix illa hoc ævo digna favore cluet.*

**Illius auspiciis, HÖPFNERE sub ardua laudis**

*Culmina, vix ultrâ quâ licet ire, meas.*

**Antè unum emeritum Pietatis agone brabèum**

*Mirâ nepenthes nominis auxit ope,*

**Alter a nunc iterum Pietate nuente tiara**

*Commeritas properat indupedire comas.*

**Tertia palma super, quam pacta Licentia porrò**

*Expetit, ut metam tangat honoris honos:*

**Tardus honos, sed magnus honos, quò tardior, hòc &**

*Major, quin imò debitus & meritus;*

**Debit hunc ipsum dudum Philyrea, merenti**

*Debit ob laudis plurima puncta tuæ.*

**Non etenim ad metam hanc te provexere faventium**

*Suppara, non voti pagina, sortis apex;*

**Sed genij sublimis honos, sed splendor honesti,**

*Sed pietatis amor, dædaleusq; labor,*

**Nec verò per transfennam, sed mentis ocellis**

*Visa tibi Sophie, visa tibi Eusebie,*

*Natu-*



*Natura illa oculo, fidei visu altera, utramq;*  
*Dum colis, utraq; te mutuo honore beat.*  
 Nam prius ut *Logicum*, dociles *Sophus* inter alumnos,  
 Omnia solenni puncta favore dabas:  
 Sic nunc *subsidio Pietati* sacra ferentem  
 Omnes adfectu vel super astra levant.  
 Mirata est *Sophie* benè scintillantia *mentis*  
*Lumina, & ingenium judiciumq;* grave,  
 Miratur nunc *Eusebie* cata corda docentis,  
 Os sacrum, purum religionis, fide.  
 Prægnanti ante *stylo*, quæ lucem ferre valerent,  
 Prodideras, *genio* sponte sequente, *manum;*  
 Majori nisu *Sopbia cælestis* in hostes  
 Nunc stringis tinctum *mente, fideq;* stylum.  
 Hanc *mentem* atq; *manum* qui nescit, paginâ ab unâ  
 Ille catam *mentem* nosse *manumq;* potest,  
 Adversus *Cingli* tenebras, nebulasq; *Tridenti,*  
*Photiniq;* umbras emicat inde jubar.  
 Hinc meritum comitata decus laus æmula *fronde*  
*Palladiâ* insignem *Sioniâq;* facit.  
 Utraq; *laus summa* est, sed utrâ sis dignior, illud  
 Ambiguum est, quando *dignus* utramq; meres.  
 Quod *precer* haud ultra est, quando contermina cælo  
 It *pietas*, meriti *gratia*, pulcher honos.  
 Quod *voveo*, id tantum est, *æternent* fata tenorem,  
 Concesso *decori* sufficientiq; *decus*,  
 Sit *fortuna* Comes *Pietati*, omnemq; laborem,  
*Vis* maris *ingenii* non temerata levet,  
 Sic longum vigeat mox *ter-geminanda* *Corona*,  
 Digna favore *Soli*, digna favore *Poli*.  
 Hoc *dives votum* est, quo nunc mea *Musa Stratego*  
 Ipsa *suo*, referat dum mage grata, litat.

Addit



42  
Addit & hoc; *ales* si indulget *Joya columnas,*  
Nondum labetur *relligionis opus,*  
*Alter a* sed repetens post altera secula, *secla*  
LUTHERI stabit perpes in orbe *decus.*

M. Josua Stegman.

FINIS.



Lipsiæ.

*Sumptibus Heredum Thome Schüreri.*

---

Anno M. DC. XVII.

coll. Diss. A 181, misc 33